

**AGRÉGATION  
CONCOURS EXTERNE**

**Section : LETTRES CLASSIQUES**

**VERSION LATINE**

**DE DIEU**

Nihil in homine membrorum est, quod non et necessitatis causa sit et decoris, et quod magis mirum est, eadem figura omnibus, sed quaedam unicuique liniamenta deflexa : sic et similes universi videmur et inter se singuli dissimiles invenimur."Quid nascendi ratio ? quid ? cupidus generandi nonne a deo data est, et ut ubera partu maturescente lactescant et ut tener fetus ubertate lactei roris adolescat ? "Nec universitati solummodo deus, sed et partibus consultit. Britannia sole deficitur, sed circumfluentis maris tempore recreatur ; Aegypti siccitatem temperare Nilus amnis solet, Euphrates Mesopotamiam pro imbris pensat, Indus flumen et serere orientem dicitur et rigare. "Quod si ingressus aliquam domum omnia exulta, disposita, ornata vidisses, utique praeesse ei crederes dominum et illis bonis rebus multo esse meliorem : ita in hac mundi domo, cum caelo terraque perspicias providentiam, ordinem, legem, crede esse universitatis dominum parentemque ipsis sideribus et totius mundi partibus pulchriorem.

"Ni forte, quoniam de providentia nulla dubitatio est, inquirendum putas, utrum unius imperio an arbitrio plurimorum caeleste regnum gubernetur : quod ipsum non est multi laboris aperire cogitanti imperia terrena, quibus exempla utique de caelo. Quando umquam regni societas aut cum fide coepit aut sine cruce discessit ? Omitto Persas de equorum hinnitu augurantes principatum, et Thebanorum par, mortuam fabulam, transeo. Ob pastorum et casae regnum de geminis memoria notissima est. Generi et socii bella toto orbe diffusa sunt, et tam magni imperii duos fortuna non cepit. "Vide cetera : rex unus apibus, dux unus in gregibus, in armentis rector unus. Tu in caelo summam potestatem dividi credas et scindi veri illius ac divini imperii totam maiestatem, cum palam sit parentem omnium deum nec principium habere nec terminum, qui nativitatem omnibus praestet, sibi perpetuitatem, qui ante mundum fuerit sibi ipse pro mundo : qui universa, quaecumque sunt, verbo iubet, ratione dispensat, virtute consummat.

"Hic non videri potest : visu clarior est ; nec comprehendendi : tactu purior est ; nec aestimari : sensibus maior est, infinitus, immensus et soli sibi tantus, quantus est, notus. Nobis vero ad intellectum pectus angustum est, et ideo sic eum digne aestimamus, dum inestimabilem dicimus. Eloquar quemadmodum sentio : magnitudinem dei qui se putat nosse minuit ; qui non vult minuere, non novit.